

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In festo die Philippi & Jacobi

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

dextris suis sistet, ubi amabilem ex ore e-
jus vocem audiemus : Venite benedicti
patris mei, hereditario accipite, regnum
paratum vobis à constitutione mundi,
Matth. 25. v. 34.

Id quod nobis omnibus ex gratia lar-
giri dignetur Deus Opt. Max. per & pro-
pter Christum, Dominum & Serva-
torem nostrum, Amen.

In festo die Philippi & Jacobi.

Evangelium Ioh. 14. v. 1. --- 14.

EXORDIUM.

CUM Hagar ancilla Abrahami erraret
in solitudine Bersabeæ, & aqua defi-
ceret, quâ suam filiiq; Israël sitim
restingueret, levavit vocem suam & flevit.
Statim exaudivit Deus vocem ejus, misitq;
angelum, qui ei viam rectam, & puteum
aquæ ostendit, ut utrem implere, & pue-
rum potare potuerit, Gen. 21. v. 15. 19.

Nos Dilecti! *Hagar non adeo dissimiles
sumus.* Omnes enim quasi oves erra-
mus, Esa. 53. v. 6. & aberramus à viâ angustâ,
quæ ad cælum ducit, Matth. 7. v. 14. quin-
imò in tantâ sæpè miserâ versamur, ut ne
guttulâ quidem aqua potiri possimus, quâ
lingvam nostram refrigerare & reficere
valeamus, imprimis quando infernales Pa-
læstini fontes consolatorios obstruunt,
Gen. 26. v. 15.

Quando verò *lacrymas pœnitentiales* ad
cælum mitimus, audit Deus, nec patitur
nos tentari supra id quod possumus, 1.
Cor. 10. v. 13. Sed mandat *Angelis ecclesiæ,*
ecclesiæ ministris & pastoribus, ut officio
suo fungantur, tam in consolandis afflicto-
tis, Esa. 40. v. 1. quàm etiam reducendis erran-
tibus. Ideoque sine intermissione clamant:

State super vias, & videte, quæ sit via bona,
Jer. 6. v. 16.

*Christus Servator noster pientissimus, hæc
in parte nobis bono exemplo pravit:* quia e-
nim à patre suo missus erat, tanquam Ange-
lus fœderis, Mal. 3. 1. ut omnes lugentes con-
solaretur, Es. 61. 3. & quod errans erat, re-
duceret, Ezech. 34. 16. tanquam Pastor &
Episcopus animarum nostrarum, 1. Petr. 2.
v. ult. munus quoque suum fideliter obiit,
& in specie in prælecto Evangelio contur-
batus suis Apostolis, tam svavem concionem
habuit, ut eam adhuc hodie in vita & mor-
te utiliter adhibere nobis possimus.

Propterea autem Majores nostri textum
hunc memoriæ Philippi & Jacobi consecra-
runt, quia in primis Philippi mentio injici-
tur. Dicit enim ille ad Christum: Domine,
ostende nobis patrem & sufficit nobis. Et
respondet ipsi Servator: Philippe, qui me
videt, videt etiam patrem.

Nos absq; ulteriori præfamine ad ipsam
Evangelii tractationem conferemus nos,
meditaturi ex eodem:

I. Ἀποστολοῦ, sive *notitiam nostræ.*

II. Χριστοῦ, sive *notitiam Christi.*

J.J.

Ttt 3

Exe-

Exegetis.

Consuetudinis jam aliquot retrò seculis est, ut hodierno die *frondes virentes* in sylvis recisi, coram januis ponantur: quimos procul dubio invaluit, quia hodie *primus dies Maji* ingruit, de quo Poëta canit:

Omnia nunc rident, nunc formosissimus annus.

Hoc ipso Christiani sibi in memoriam revocarunt, jucundissimam venustatem, quæ aliquando in vitâ æternâ futura est, ubi habebimus *perpetuum ver*, ut palma virentes, germinantesque in æternum, Psal. 92. v. 13.

Hæc spe solatur Christus Apostolos suos in prælecto Evangelio inquit: Non turbetur cor vestrum &c.

Ad *notitiam nostri* pervenimus, si spectemus:

1. *Discipulorum timorem*. Quia enim Servator de passione & morte suâ discipulis prædicaverat, quomodo aliquis ex illis se proditurus, reliqui vero omnes se deserturi essent: maximâ hinc afficiebantur perturbatione, ut nescirent, quid respondere debeant. Id in ipsis animadvertit Dominus, ideoque ne sine solatio relinqueret, ait: Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite, q. d. quid mœrore & solitudine vos maceratis nimîa? an censetis, quia jam in servi forma incedo, ut crucifigat & occidat, sicut in consilio SS. Triados decretum est, quasi non amplius adjuvare vos possim? Id minimè perſvadeatis vobis. Sub hac enim servi formâ divina virtus latet: ideoque in morte non manebo, sed tertiâ die resurgam,

mortem in æternum absorpturus, Esa. 28. v. 8. hoc solatium vestrum esto, quo si vos refeceritis, faciliè omnem sollicitudinem ex animo profligare poteritis.

Hic unusquisque examinet se, utrum tempore necessitatis in Christum fiducia fuerit, qualem hic Christus à discipulis suis requirit?

Ea subinde deficit. Naturâ enim terrena sapimus, Phil. 3. v. 19. & plus externis mediis intenti sumus, quam ut in Deo confidamus, ejusque omnipotentia sapientia, & veritati totam nostram miseriam verâ fide unicè commendemus. Hinc ejusmodi spes consistere nequit, sicut nec domus super arenam ædificata consistere potest, Matth. 7. v. 26.

Magnum adjumentum in rebus adversis est

1. *Amicorum turba*. Amicus enim & sodalis in tempore conveniunt, Sir. 41. v. 23. & adhærebit magis quàm frater, Prov. 18. v. 24. Sir. 6. v. 14. Verum in postremis hisce temporibus eò res rediit, ut non immeritò cum Aristotele exclames: *O amici, nullus est amicus*, omnes enim consolatores onerosi sunt, Joh. 16. v. 2. qui tempore necessitatis adversabuntur tibi, & è facie tua abscondentur, Sir. 6. v. 12.

2. *Divitiarum copia*, qui enim his instructus est, à mundo in magno honore habetur, Jac. 2. v. 2. humilis verò cum ceciderit, expelletur & à notis, Sir. 13. v. 25.

3. *Brachii secularis potentia*, sicut Haman hoc ipso efferebatur, quod apud Ahasverum in gratia erat, Esth. 5. v. 11.

Verùm si rem rectè expendamus, non adeo in iis confidendum est. Divitiæ enim spinis similes sunt, Luc. 8. v. 14. Aurum

rum & argentum æruginant, Jac. 5. v. 3. filii viri sunt mendacium, Psal. 62. v. 10.

Qui vero Deo confidit, optimo sustentaculo fulcitur, nec exhorrescere debet mortem, Dominus enim est protector vitæ ejus, Psal. 27. v. 2. Non metuere debet diabolum, Christus enim caput ejus contrivit, Gen. 3. v. 15. ejusque opera dissolvit, I. Joh. 3. v. 8. Non mundum, major enim est, qui in te est, quam qui in mundo, I. Joh. 4. v. 4.

Veri proinde Christi vocem amabilem servatoris sui semper recordentur, nec nimium metuant, quando gentes fremunt, & populi meditantur inania, quando consistunt reges terræ & consultant simul adversus Dominum, & adversus Christum ejus, Psal. 2. v. 1. 2. qui enim in & nobiscum est, major est, quam qui in mundo, I. Joh. 4. v. 4. Dominus exercituum nomen ejus, Esa. 54. v. 5. & sicut erga se confidentes se probat ut Servatorem, in quo habent justitiam & robur, Esa. 45. v. 24. Ita ex adverso impii, qui Ecclesiam suam odio & persecutione infestant experiuntur, quod Deus sit ultionum, Psal. 49. v. 1. qui potentiam facit in brachio suo, Luc. 1. v. 51. & confringit capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis, Psal. 68. v. 22.

II. *Discipulorum errorem.* Semper in falsa illa opinione hærebant, Dominum & Magistrum suum regnum terrenum inchoaturum, ideo valde absolum illis videtur, quod Dominus de habitu suo illis dicit. Domine, inquit Thomas, nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?

Arbitrantur illi, Dominum forte alii itineri se accingere, quod ipsos celaret, id-

eoque mcerore perturbantur, veluti, quando parens aliquis longum iter parat, usdemque valedicit. Hoc quidem adeo vitio illis vertendum non est, interim tamen, subinde à Christo instructi nosse debuissent, qualis abitus esset, quem Christus machinabatur. Imprimis quia idipsis paulo ante dilucide explicaverat hisce verbis: Ecce, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, Luc. 18. v. 31. Hic nullo Oedipo opus erat, & tamen Thomas ait: Nescimus quo vadis, & quomodo possumus viam scire?

Hic proba te, mi Christiane! utrum & ipse viam ad vitam æternam studiose inquisiveris?

Hoc ipsa necessitas flagitat. Si quis iter facturum est, & nescit viam, facile aberrare, aut in extremum vitæ periculum adduci potest, ut aut à feris discerpatur, sicut Propheta ille, I. Reg. 13. v. 24. five in latrones incidit, sicut homo ille, qui ab Hierusalem descendebat in Hiericho, Luc. 10. v. 10. Sed & nobis iter propositum est, scopus tendit ad cælum; multa vero devia occurrunt, quæ nobis diabolus, mundus & caro nostra ostendunt, ut facile deerrare possimus, idcirco accurata instructione opus est, ut regia via incedentes non declinemus, neque ad dextram neque ad sinistram, Esa. 30. v. 21.

De Hercule Poetæ fabulantur, cum in juventute in bivio constitutum, duas mulieres offendisse, quarum altera Virtus, altera Voluptas fuerit. Virtutem ipsum ad honestatem & res præclaras gerendas extimulasse, & promississe hoc modo eum nominis celebritatem, honorem & gloriam consecuturum. Voluptatem eidem aliam mon-

monstrasse viam, ut otio indulgeret, & in delictis vitam transigeret. Ad hæc Herculem diu animi incerti fuisse, utri calculum adjiceret. Tandem tamen constituisset secum, quod speret à voluptate virtuti operam dare vellet: Hinc ipsum omni studio ad virtutem contendisse, nomenque suum ad eam immortalitati commendasse.

Quod Herculi hac in parte contigit, nobis quoque quotidie accidit. Caro enim & spiritus sibi invicem aduersantur, Gal. 5. v. 17. & volentibus nobis facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. Verum hinc finem intueri, & eam viam eligere tenemur, unde gloriam & honorem consequi possumus. Si enim secundum carnem vixeritis moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, Rom. 8. vers. 13.

Rome duo templa conjuncta erant, alterum dicebatur Templum honoris, alterum Templum virtutis. Qui in Templum honoris ire volebat, per nullam aliam viam, quam per templum Virtutis ingredi poterat.

Quod si aliquando faciem Dei intueri, Deoque in templo ejus die ac nocte servire vultis, Apoc. 7. v. 10. hinc in tempore gratiæ templum Virtutis sedulo frequentetis, verbum Dei cum voluptate audiat, & ut lux vestra coram hominibus luceat oportet, Matth. 5. vers. 16. nec molestum videri debet, si via hæc cum labore calcanda: sed potius meminertis, vobis donatum esse pro Christo, ut non solum in eum credatis: sed ut etiam pro illo patiamini, Phil. 1. v. 29. Ipse enim Servator, per hanc tribulationis viam incedens, per passionem & mortem intravit

in gloriam suam, Luc. 24. v. 26. Ad hoc quilibet in tempore se præparet necesse est, & quando Diabolus ei ostendit viam meretricis, Proverb. 7. v. 25. vel aliam jucundam viam, Sap. 2. v. 7. minus se seduci patiat, sed magis eligat affligi propter Christum, quam temporalem peccati habere jucunditatem, intuitu ditissima remunerationis aliquando secutura, Hebr. 11. v. 26. Qui enim venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni, Apoc. 7. v. 14. hi promissionem habent, quod ambulare debeant demum coram Domino, in regione vivorum, Psal. 116. v. 9.

III. *Discipulorum corporem.* Ubi enim Christus dicit: Si cognovissetis me, & patrem meum utique cognovissetis, respondet ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Fanto tempore vobiscum sum, & non cognovisti me.

Si Servator hinc ex rigore procedere voluisset, Philippus sanè insignem oburgationem promeritus fuerat. Per quadriennium enim fere scholam Christi frequentarat, & non minus ac Petrus verba vitæ ex ore ejus audierat, Joh. 6. v. 68. ideoque in laude positum fuisset, si Christum filium Dei vivi, velut Petrus confessus esset, Matth. 16. v. 16. Verum hujus altum est silentium: potius imbecillitatem suam prodit, dum Deum patrem in hac vitâ videre gestit, putans si hoc impetrare posset, sibi hoc sufficere. Cum tamen beatitudo nostra in hoc non versetur, impossibile enim est, ut mortalis Deum in hac vita videat, quin moriatur, Exod. 33. v. 20. sed per Christum, & in Christo habemus vitam & ab-

undan-

undantiam, Joh. 6. v. 10. quippe qui unus est mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. & qui filium videt & credit in eum, habet vitam æternam, Joh. 6. v. 40.

In examen hic te voca, mi Christiane! utrum & ipse in notitiâ Dei, & filii ejus Jesu Christi talis hospes sis: & si fidei ratio tibi reddenda foret, annon majorem inscitiâ proderes, quàm Philippus?

Sanè si experientiam consulimus, deprehendimus, plurimos esse, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psal. 32. v. 9. Ut hic locum habeat querela Esaiæ: Vides multa neque observas? Esa. 42. v. 9.

Omnes nos utimur S. Eucharistiâ, ad quam digna preparatio requiritur, ut dijudicemus corpus Domini, 1. Cor. 11. v. 29. Quot verò occurrunt, qui hoc discrimen nesciunt, & ex cœcâ devotione, vel rectius, perversâ consuetudine communicant?

Talibus occinendum est illud Pauli: Non est bona gloriatio vestra, 1. Cor. 5. v. 6. laudem vos? in hoc non laudo, 1. Cor. 11. v. 22. In cognitione enim Dei & filii ejus Jesu Christi vita æterna consistit, Joh. 17. v. 3.

Fugiamus igitur hunc torporem, & templum frequentaturi afforamus:

1. *Cor Davidis*, cujus summa voluptas fuit, ut inhabitaret in domo Domini, & visitaret templum ejus, Psal. 27. v. 4. Tantâ voluptate, & lætitiâ nos quoque ædem Domini frequentare debemus. Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in viâ, & aperiret nobis scripturas? dicebant Emauntici, Luc. 14. v. 32. Idem adhuc hodie Servator operatur in omnibus concionibus, non quidem in personâ propriâ, sed per ministros suos, qui vos audit, me audit, Luc. 10. v. 16. Propterea nostrum quoque cor ardeat, quando

dicta consolationis plenissima audimus, desiderabilia super aurum obryzum: & dulciora super mel & favum, Psal. 119. vers. 11.

2. *Cor Samuelis*, qui cum attentione verba Domini accipiebat, dicens: loquere Domine, servus tuus attendit, 1. Sam. 3. v. 9. Sic & nos cum devotione debitâ verbum Dei audiamus. Custodi pedem tuum, ingrediens domum Dei, Ecclef. 4. v. 17. Joh. 8. vers. 47.

3. *Cor Mariæ virginis*. Quemadmodum enim de B. Mariâ Lucas memorat: Conservabat omnia verba hæc in corde suo, Luc. 2. v. 51. ita hoc similiter ad omnes genuinos Christianos pertinet. Secus enim sine emolumento templum frequentabunt & conciones audient, Beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, Luc. 11. vers. 28.

Si quis *bonum thesaurum* habet, illum studiosè custodit, ne à furibus aut prædonibus auferatur: sed & eò laborat, ut eo luctetur, & commodum sibi comparet. Thesaurus enim invisus, quam utilitatem confert? Sir. 10. v. 32. Hoc ipsum à quovis vero Christiano fieri debet, ut non modò lætetur super eloquia Dei, si illa in tempore percipere queat, sicut qui invenit spolia multa, Psal. 119. v. 162. sed & audita probè custodiât, ne infernalis vultur veniat, & rapiat, quod seminatum est in corde ejus, Matth. 13. v. 19.

Hoc modo ab ignorantia ejusmodi liberari possumus. Qui enim querit legem, replebitur ab eâ, Sir. 32. v. 19. Interea in fide infirmos non condemnemus, si modò ignorantia affectata absit, & congregentur in domum disciplinæ, & suscipiant eam, Sir. 51. v. 31. 34. Quemadmodum nec

U u u

Chri-

Christus Apostolos rejecit, sed ruditatem æquo animo tulit. Sicut enim Sol procedit & crescit, usque ad diem perfectam, Prov. 4. v. 18. Pari modo & nos imperfectione laboramus, nec ad perfectionem pertingere hic valeamus: ubi verò in vitam æternam pervenimus, veniet quod perfectum est, & evacuabitur, quod ex parte est, 1. Cor. 13. v. 10. ut patrem visuri simus, nec modò visuri, sed & societatem habituri, cum patre & filio, 1. Joh. 1. v. 3.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *χρησιμωσια*, sive notitiam Christi meditaturi. Hic nobis proponitur in præfente Evangelio:

I. *Tanquam Domicilii celestis preparator.* In domo enim patris mei, inquit Christus, mansiones multæ sunt; Si quò minus, dixissem vobis, quia vado parare vobis locum. Et si abiero & præparavero vobis locum, iterum venio &c.

In hoc tempore sumus *alienigenæ*, non habentes civitatem permanentem, Heb. 13. v. 14. Verùm per abitum suum ad patrem nobis Christus mansionem paravit, ut jam sciamus, ubi diveri & in æternum manere possimus, nempe in domo patris celestis, h. e. in vitâ æternâ, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 18. Eo igitur unicè intenti, quæ retrò sunt obliviscamur, ad ea verò quæ priora sunt, extendamus nos, Phil. 3. v. 14.

Patria est, ubicunque est bene, Cicero dicere solitus est: hoc ita posito, facile conjicere poterimus, in hoc mundo patriam nostram non esse, sed in alterâ demum &

*Septimo Lulhesii jungeri p. exptm. Basilij, q. impatoris Valentis præfecto ipse præsentis, et dicebat
li, se ipse p. sententiam terra maris, ubi. I. hanc manere vellet? respondit: Nulli sub
coelo, aut in coelo.*

semperternâ vitâ: ibi enim bene nobis erit, ut cum Petro dicere possimus: Domine hic bonum est habitare, Matth. 17. v. 4. *Esse nostrum, non habebit mortem, Nolle nostrum non habebit errorem, Amare nostrum non habebit offensionem*, ut Augustinus ait. Ibi optimè habitabimus, *propter rem*, quæ erit summum bonum, nam nullus est bonus, nisi Deus unus, Matth. 19. v. 17. *propter modum*, non enim amplius Deum per speculum in ænigmate, sed à facie ad faciem videbimus, 1. Cor. 13. v. 12. *propter durationem*: hæc enim gloria non unum & alterum diem, sed in æternum durabit. Ibunt namq; justi in vitam æternam, Matth. 25. v. ult. *propter societatem*, Heb. 12. v. 22. Quis igitur ibi habitare non desideraret, cum Paulo dicens: *ὅτι θυμὸν ἴχθω*: Phil. 1. v. 22. Psalm. 65. v. 5.

In patientia proinde animas nostras custodiamus, si adversa nobis obveniant, in hoc mundo, cum *B. Luthero* dicentes: *Si terra nos non capit, caelum capiet*. Ibi complebuntur dies luctus nostri, Esa. 65. v. 20. nec movebimur vehementer, Psal. 62. v. 3. Quin nec mors sedibus hisce nos ejicere poterit, quin potius ad eas nos promovet, Beati mortui, qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. v. 13.

Si quis diu in peregrinatione vitam degit, lætatur, si redux patriam suam revisat, & licet patibulum multis cadaveribus, & mortuorum reliquiis coronatum videat, non tamen exhorrescit, sed gaudio potius perfunditur, quod iter huc usque absolverit, nec dubitat, quin jam per portam introire & optata quiete frui velit. Pari modo, quando pius Christianus mortem subire debet, non ideo dolore perturbetur, sed potius lætitiâ exultet, quod redemptio-

sua instet, dicens cum Simeone : Nunc dimittis Domine, servum tuum in pace, Luc. 2. v. 29. respectu piorum enim melior est dies mortis die natiuitatis, Eccl. 7. v. 2.

II. *Tanquam idoneus via demonstrator.* Dicit enim: Ego sum via, veritas & vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me, h. e. ut Augustinus explicat: *Ambulare vis o homo? ego sum via. Falli non vis? ego sum veritas. Mori non vis? ego sum vita*

In V. T. Dominus Israelitas præcessit ad ostendendam viam, per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis, ut lumen præberet eis, & ut dux esset itineris, utroque tempore, Exo. 13. v. 21.

Verum in N. T. ipse filius Dei dux viae est, qui præcessit nos.

1. *In via legis,* & monstravit nobis, quomodo iter nostrum instituere debeamus ad caelestem patriam.

1. *Ratione credendorum.* Hic enim tanta mysteria occurrunt, quæ nullâ ratione comprehendere possunt, qualia sunt Mysterium Trinitatis, de creatione mundi, de Personâ Christi, de Baptismo, de cæna Domini, de resurrectione carnis, &c. Hic altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei se offert, Rom. 11. v. 33. Nostrum igitur est in captivitate redigere rationem nostram, credentes contra spem in spem, exemplo Abrahamæ, Rom. 4. v. 20. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20. v. 29.

2. *Ratione faciendorum.* Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, Mich. 6. v. 8. Quando igitur quidam sunt, qui sequuntur viam Balaam, 2. Petr. 2. v. 15. aut abeunt in viam Cain, epist. Jud. v. 11. aut insistent viæ augurum, Jud. 9. v. 27. aut in

alias vias curvas declinant, Psal. 125. v. ult. quæ ad perditionem eos ducunt, Matth. 7. v. 13. Veri Christiani ad Christum se convertant, orantes cum Davide: *Vias tuas, Domine, demonstra mihi*, Psal. 25. v. 2. Qui eum enim sequetur, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ, Joh. 8. v. 12. Psal. 36. v. 11.

2. *In via crucis.* Deus in more habet, ut mirificet sanctos suos, Psal. 4. v. 4. per gloriam & ignominiam, per infamiam, & bonam famam, 2. Cor. 6. v. 8. deducit ad inferos & reducit, 1. Sam. 2. v. 6. ut tribulationes multas & malas experiantur, Psal. 71. v. 20. ut misera tempestate convulsa, absque ullâ consolatione, Esa. 54. v. 11.

In hoc multi offenduntur, quando vident, Deum carissimos sibi quosque ita calamitatibus immergere. Verum quando Christum intuemur, nemini mirum videri potest. Phil. 2. 8. 11. Sicut igitur Christus initium fecit, & per viam crucis intravit in gloriam suam: ita adhuc hodie hæc via regia, quam omnes sancti calcarunt, & nos quoque calcare cogimur. Deus unicuique demensum suum dedit, Act. 9. v. 16.

3. *In via mortis.* Ipse enim mortem gustavit. Ideoque novit, qualis moribundis sensus sit. In cogitur, in quo passus est ipse, potens est eis, qui tentantur, auxiliari, Hebr. 2. v. 9. 18. Quando hoc nobis ad animum revocamus, confidenter cum Paulo dicere possumus: Certus sum, quia neque mors neque vita, &c. Rom. 8. v. 38.

Hadrianus Imperator moriturus in hæc verba erupit: *Animula, vagula, blandula, quæ nunc abibis in loca?*

Verum pii Christiani sciunt, cui credant, 2. Tim. 1. v. 12. ideoque mortem minime

nime horrent, est enim ingens lucrum, & janua ad meliorem vitam, Joh. 5, 24.

4. *In via lucis.* Sicut enim in sepulchro non mansit, sed tertio die resurrexit, ad cælum ascendit, & sedet ad dextram Dei ubi dominatur super omne, quod nominatur non solum in hoc seculo: sed & in futuro, Eph. 1. v. 20. ita & nos, si commortui fuerimus, convivemus ei, 2. Tim. 2. v. 11. Col. 3, 4. Apoc. 3. v. 21.

III. *Tanquam fidelis informator,* qui discipulos de tribus potissimum hic instruit:

1. *De via salutis unica.* inquit enim: Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem nisi per me. Hoc de sanctissimo ejus merito intelligendum est. Quia enim caput serpentis contrivit, Gen. 3. v. 15. & in sanguine Testamenti nos victos non modo emisit de puteo, in quo non est aqua, Zach. 9. v. 11. Sed & Paradisum aperuit, Luc. 23. v. 43. ut jam hæredes simus vitæ æternæ. Tit. 3. v. 7. ipse via appellatur, præcipue propterea, quod peccata, quæ nos & Deum nostrum dividerunt, Psal. 59. v. 2. expiavit, & contra per concionem Evangelii singulis ostendit viam vitæ, Psal. 16. v. ult.

Hæc fides Catholica est, per quam olim patres salvati sunt, & nos salvamur, Act. 15. v. 11. Jesus Christus enim heri & hodie, idemque etiam in secula, Heb. 13, 8.

2. *De persona sua notitia.* Cum enim Philippus desideraret patrem videre, inquit Christus: Philippe, qui me videt, videt & Patrem. Non credis, quia ego in patre & pater in me est. q. d. Non quidem pater ipse, sed ratione personæ ab eo distinctus sum: sed quoad essentiam idem ille Deus sum, qui pater est: nempe filius ejus propius, quem ab æterno ex essentia sua genuit, Psalm. 2. Sum quoque ejusdem

voluntatis cum patre, ideoque verba quæ loquor, non à me ipso loquor, sed omnia à patre proveniunt, cujus legatus & quasi Cancellarius sum, Joh. 1, 18. Tandem quoque ejusdem potentia & virtutis cum patre sum, pater enim qui in me est opera illa facit, ut mortuos suscitem, & alia opera faciam, quæ pater facit, Joh. 5. v. 19, 20.

Quia igitur ejusmodi Servatorem habemus, qui cum patre ejusdem essentia & voluntatis est, eandemque potentiam accipit, quam pater, juxta humanam naturam quoque, Matth. 18. v. 18. hinc in omnibus calamitatibus exultare possumus, dicentes: si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31.

3. *De precum efficacia,* Amen, Amen, dicit enim, dico vobis, quodcunque petierit e patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Et denuo ait: Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.

Hæc promissio ad assiduas preces nos stimulare debet. Neque enim frustranea oratio nostra erit, sed certissime exaudienda. Quod & promissit, Matth. 18, 19, ubi quod de patre suo dixerat, jam ad se trahit, dicens: Ego faciam. Ut indicet se non minus omnipotentem & omniscium esse, ac patrem, adeoque orationem exaudire, & quæ petuntur, largiri posse. Ideoque addit, ut glorificetur pater in filio. Quando enim filius orationem, quæ in nomine ejus sit, exaudit, hoc ipso pater glorificatur, h. e. quilibet hinc colligere potest, quod illi pater omnem potestatem super hæc verba ita scribit: *Cum apparet, filium magna posse, glorificatur, qui filium tantum genuit.* Imprimis vero Servator hoc ipso ostendere voluit, se non

non suam, sed patris gloriam in omnibus
quærere, Joh. 8. v. 50.

*Quod si igitur promissio hæc Christi in
nobis quoque locum habere debeat, operam dare
debemus, primo, ut Christi genuini discipuli
simus.* Discipulis enim suis hanc promissio-
nem dedit. Tum vero Christi discipuli su-
mus, si manserimus in sermone ejus, Joh. 8.
v. 31. Joh. 13. v. 7.

*Deinde etiam recte oremus, ut manus &
cor elevemus ad Deum, Thren. 3. v. 41. Cor
nim potissimum intuetur, 1. Sam. 16. v. 7.*

*Tertio quoque in nomine ejus oremus o-
portet, h. e. in sanctissimo ejus merito con-
fidamus, nullo alio mediatore utentes. No-
bis enim unus est pater & c. 1. Cor. 8. v. 6.*

*Quarto, nec modum ei in iuvando præscri-
bamus, ut cives in Bethulia, Judit. 8. v. 10.*

quodcunque enim, inquit Christus, petieris
in nomine meo, hoc faciam, sed non ad-
dit, quando vel quomodo iuvare velit, hoc
enim sapientiæ suæ reservavit, Act. 1. v. 2.

*Tandem omnia quæ precamur, eo dirige-
re debemus, ut pater glorificetur in filio.* Qui
enim suam ipsius gloriam quærit cum filiis
Zebedæi repulsam patitur, Matth. 20. v. 23.
Dicamus ergo: non nobis Domine, non
nobis, Psal. 15, 1.

Hæc si observaverimus, Christus nobis
quæ petierimus, dabit, hic in tempore gra-
tiæ, Psal. 20. v. 5. & tandem petitiones cor-
dis nostri, Psal. 37. v. 4. in regno gloriæ.

Eiat id per Christum, Dominum
nostrum, Amen.

* *
*

In Festo Ascensionis Christi.

Evangelium: Marc. 16. v. 14. --- 20.

EXORDIUM.

CUm Propheta Elias cursum suum
absolvisset in terris, & Deus illum
*curru igneo & equis igneis in cœ-
lum abduxisset:* Elifæus famulus
levavit pallium ejus, eoque divisit aquas Jor-
dani quin & spiritum ejus duplicem accepit,
tutei promiserat, 2. Reg. 2, 11.

Hæc historia typus fuit triumphatoris
ascensionis Domini & servatoris nostri Jesu
Christi.

*Hæc Propheta fuit, qui surrexit quasi i-
gnis & verbum ejus quasi facula arsit, Sir.
48. 2. Similiter & Christus Propheta fuit,*

potens in opere & sermone, coram Deo &
omni populi, Luc. 24. v. 19. erat enim do-
cens quasi potestatem habens, & non sicut
Scribæ, Marc. 1. v. 22. huic discipuli Ema-
untiei dicebant: Nonne cor nostrum ar-
dens erat in nobis, dum loqueretur nobis in
via, Luc. 24, 32.

*Elias magna miracula patravit, nec mo-
do viduæ Sareptanæ hydriæ farinæ & lecy-
tho olei benedixit: sed & filium ejus à mor-
tuis resuscitavit. Christus Servator noster ad-
huc majora miracula edidit, paucis enim pa-*

Uuu 3 ni-